

LAVRENTIUS FRISIVS MEDICVS.



**L**AURENTIUS apud Frisios natus & educatus est. Is cum ingenio ualeret, operam literis dedit, & primis fundamentis in patria factis, sese hinc inde ad uarias academias contulit. In ijs Philosophiae & Medicinæ magna diligentia incubuit, atque preclaram eruditionem sibi comparauit. Vnde etiam docendo, artem exercendo, atque scribendo cunctis gratissimus extitit. Scripsit enim librum Germanica lingua De cura singulorum morborum à capite ad pedes, quem Speculum Medicinæ uocant, atque 1532 edidit. item Synonima materiae medicæ, siue simplicium Pharmacorum, Latinis, Græcis & Arabicis vocabulis. extat quoque eiusdem Epitome de curādis pustulis, ulceribus, & doloribus morbi Galici. Hoc modo factum ut Laurentius sibi magnum nomen conciliarit, atque moriens ingenij sui uires posteris declararit. Con. Geß. in Bib.